



1. Dav. Vogel diff. ex creatio Mundi et
 lumine nature demonstrari queat. 1704.
 2. Chr. Marcorij diff. ex Gen. i vi. 1723.
 3. Joach. Hildebrandi diff. de creatione unius. 1657.
 4. Berth. Derrichow diff. de immortalitate
 primi hominis. 1629.
 5. Christ. Marcorij diff. de voluntate Adami. 1710.
 6. ioh. Strelmanni diff. de Lazaru primorum
 parentum. 1637.
 7. Mart. Correll diff. II, de flavijs praedictis. 1706.
 8. Aug. pfeifferi, diff. de homicidio Lanckii. 1671.
 9. Christ. Neubaur diff. de signo quod Deas
 caini posuit. 1672.
 10. ioh. phil. pfeifferi diff. de homicidio Lanckii. 1670.

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA II.
DE
**GENUINO ET
HARMONICO SENSU
DICTORUM**

Exod. XX. 5. & Ezech. XIII. 19. 20.

*appareat sibi contradicentium,
Conciliationem eorundem, ex aliorum sententia factam, expendens
Quam,*

**RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE ac DOMINO,**

DOMINO FRIDERICO

WILHELMO,

REGNI PRUSSIÆ ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGICI HÆREDE, &c. &c. &c.

VENERANDÆ FACULT. THEOL. CONSENSU,
IN ACADEMIA REGIOMONTANA,

Placide eruditorum ventilationi sistunt,

PRÆSES

MICHAEL SCHREIBER,

S. Theol. Doct. & P. P. Ordin. Confiliar. Consistorial. Eccles.
Cathedral. Cniphofianæ Pastor ac Bibliothecar. Wallenrod.

Et Respondens

JOHANNES FRIDERICUS KOESLING,

Tapiav. Prussus,

ad d. Decembr. A. MDCCXI.

IN AUDIT. MAX. Heris confuetis.

Per - Illustri, Excellentissimo & Generosissimo
DNO. GEORGIO ERNESTO
à Schlieben /

S. R. M. in Prussia Consiliario Provinciali gravissimo,
Atq; Districtus Tapiaviensis Archi-Capitaneo fulgidissimo,
Hæreditario Domino in Tharau, Jesau, Wittenberg / &c.
Domino suo gratiosissimo.

Viro Prænobilissimo, Amplissimo ac Excellentissimo
DNO. PAULO Rabe /

Logices & Philosophiæ primæ Prof. Pub. Ord. undiquaque
celeberrimo,
Magno suo Mæcenati & præceptorí omni observantia cultu jugiter
devenerando.

Viro Prænobilissimo, Amplissimo atq; Consultissimo
DNO. CHRISTOPHORO Ritter /

Inclytæ urbis Lœbnicensis Consiliario singulari
prudentia conspicuo,

Patrono suo ac Evergetæ multis nominibus colendo.

Itt 5

Viro Nobilissimo, Clarissimo & doctissimo,
DNO. JOHANNI CHRISTIANO
Rüter /

Scholæ Cathedral. Proto - Collegæ, ut solertissimo,
ita dignissimo,

Affini suo honoratissimo, & nunquam satis demerendo.

*Dissertationem banc Theologicam in grati-
animi tesseram, ac sui ulteriorem com-
mendationem, piò affectu cum votō felici-
titatis omnigenæ, submissè offert & con-
securat*

JOHANNES FRIDERICUS KOESLING,
Respondens.

S. XXIV.

Bellarminus L. i. de Verbō DEI c. 3. probaturus Scripturas S. esse obscuras, sex rationibus utitur, quarum prima hæc est, quoniam in iisdem multa sint, quæ primō aspectu contrariari ac planè repugnantia videri possint, cujusmodi sunt duo hec loca Exod. XX. & Ezech. XVIII. Verum manifestam in argumentatione hac committit fallaciam consequentis, dum ab uno & altero dictō ad universalem S. Scripturæ obscuritatem ratiocinatur. Demus enim occurrere in illis nonnulla, quæ primō intuitu videantur contraria, non tamen eapropter statim animus abscindendus est. Voluit DEUS ejusmodi species contradictionum in verbō suō reperiri, ut nos eò magis ad diligentiam in legendō, meditandō atque expendendō illō excitaremur. *Magna utilitatis est ipsa obscuritas eloquiorum DEI, quia exercet sensum, ut fatigatio dilatetur, & exercitatus capiat, quod capere non potest otiosus.* Habet quoque adhuc aliud majus, quia Scripturæ S. intelligentia, si in cunctis esset aperta, vilesceret. In quibusdam locis obscurioribus tanto majore dulcedine inventa reficit, quanquam majorē labore fatigat animum quaesita; judice Gregor. M. Hom. 6. in Ezech. Chrysost. Hom. 40. in verba Joh. V. 39. ἐγενόμη γένεσις, ait opus esse magnō labore ac summā diligentia in Divinis Scripturis, & oportere nos profundius effodere ac scrutari, ut quæ altè abdita delitescant, invenire possimus. Non enim rem, inquit, in superficie & in promptu positam effodimus, sed quæ tanquam thesaurus profundè reconditur. Interim thesaurum istum inventu non esse impossibilem, & obscuritatem, si qua forte obvenerit, dummodo quis adhibeat diligentiam, tolli posse, vel suō exemplō nos edocuit B. Augustinus IV. de Consensu Evangelistarum libris;

libris; quem secuti multi alii antilogias in S. Codice apparen-
tes non infelici successu sustulerunt.

§. XXV.

Videamus nunc, quibus modis hæc apparenter secum
pugnantia Scripturæ loca conciliare studeant Ecclesiæ Do-
ctores, aliquæ interpres. Illorum verò sententias siquidem
mirificè discordes, melioris ordinis ergo, certas in clas-
ses dividere placet. Primam itaque classem interpretum con-
stituant illi, qui omisso literali sensu, nescio quas hic
sibi fingunt allegorias. Horum facile princeps Ori-
genes ita. Comment. in Exod. c. XX. scribit: *Sæpè jam*
diximus, quod Scripturæ Divina non omnia ad exteriorem
hominem, sed per plura ad interiorem loquuntur. Interior igitur
homo noster, aut DEum dicitur habere patrem, si secundum DEum
vivit, & que DEI sunt, agit, aut diabolum, si in peccatis sit,
& voluntatem illius gerit. Sicut evidenter in Evangelii Salvator
ostendit, cum dicit: Vos de patre diabolô estis, & desideria pa-
*tris vestri facere vultis. Ille homicida fuit ab initio, & in veri-
tate non stetit. Sicut ergo semen Dei in nobis dicitur manere,*
cum verbum Dei servantes in nobis non peccamus, ut Johannes
dicit: Qui autem ex Deo est, non peccat, quia semen Dei manet
in eo: ita etiam, cum à diabolô ad peccandum suademur, semen
ejus efficiemur. Cum verò etiam implemus, quod suaserit, tunc
jam & genuit nos. Nascimur enim ei filij per peccatum. Dein-
de quænam secunda, tertia & quarta diaboli sit generatio,
& qualiter illam visitet Deus, exponit: Dominus majestatis
Iesus Christus Salvator noster crucifixus est: Sic enim scriptum est:
Cum autem introiisset diabolus in cor Iuda Iscariotis, ut tradiceret
eum. Pater ergò peccati diabolus est. Iste in hoc scelere primum
filium

filium generat Judam, sed solus hoc Judas impleve non poterat. Quid ergo factum est? Abiit, inquit, Judas ad scribas & Phariseos & ad Pontifices, dicens eis: Quid mihi datis & ego vobis cum tradam? Nascitur ergo ex Judae generatio tertia & quarta peccati: Et hunc ordinem reprehendere poteris etiam in singulis quibusvis peccatis. Nunc ergo videamus secundam hanc, quam diximus, progeniem, quomodo Deus peccata patrum reddat in filios in tertiam & quartam generationem, & in ipsis non reddat patres. Nihil enim de patribus dixit Deus. Diabolus ergo, qui peccandi jam modum excepsit, sicuti Propheta dicit, quemadmodum vestimentum in sanguine concretum non erit mundum, ita & ipse non erit mundus in hoc seculo neque corripitur pro peccatis, neque flagellatur. Omnia namque ei servata sunt in futurum. Unde & ipse sciens sibi illud statutum tempus esse paenarum, dicebat ad Salvatorem: Quid venisti ante tempus torqueri nos? Dum ergo stat hic mundus, peccata sua non recipit diabolus, quietus peccantium pater. Redduntur autem in filios, i. e. in eos, quos genuit per peccatum. Etenim homines in carne positi corripiuntur a Domino, verberantur, flagellantur.

§. XXVI.

Spectat etiam ad classem hanc Hieronymus, apud quem Comm. in Ezech. c. XIX. Tom. V. Oper. sequentem in modum verba Dei Exod. c. XX. exponuntur: Sunt, qui hoc, quod in Exodō scriptum est: Reddens iniquitatem patrum super filios, in tertiam & quartam generationem, ita edifferant, ut ad animam humanam sententiam referant: Pairem in nobis levem punctum sensum & inceniva vitiorum esse dicentes: Filium vero, si cogitatio peccatum conceperit: nepotes, si, quod cogitaveris atque conceperis, opere perpetraveris: pronepotes autem, h. e. quartam

E 2

gene-



generationem, si non solum feceris, quod malum est ac scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris, secundum illud, quod scriptum est. (Prov. XVIII.3.) Impius cum in profundum malorum venerit, contemnit. Deus ergo primos & secundos stimulos cogitationum, quas Graci πεπονιάς vocant, sine quibus nullus hominum potest esse, nequaquam punit, sed si cogitata quis facere decreverit, aut ipsa, qua fecerit, noluerit corrigerem penitentiā. H. J.

S. XXVII.

Augustinus c. l. contra Adimant. adversus Manichæos disputans, tertiam & quartam generationem parentum, in quas Dei procedat ira, pariter mysticè de propagatione Juðæorum ab Abraham tempore ad Christi usque ætatem se extendente interpretatur his verbis: *Quod autem interteriam & quartam scriptum est generationem vindictam procedere, non aliud significari arbitror, nisi quod ab ipso Abraham, qui pater esse incipit populi Juðæorum; quatuor ætates sunt, cum ista, que nunc agitur, quas Mattheus Evangelista distinguit. Una est Abraham usque ad David, alia à Davide usque ad transmigrationem in Babyloniam: tertia à transmigratione in Babyloniam usque ad Domini adventum. Inde usque ad finem quarta deputatur tanquam senectus seculi ceteris ætatis longior.* Quas ætates pro generationibus positas credimus, quamvis singule pluribus generationibus consistent. Et quoniam tercia incipit à transmigratione Babylonia, quando Juðæorum est facta captivitas: in quartâ vero, i. e. post adventum Domini nostri gens Juðæorum à solo proprio penitus eradicata est: hoc datur intelligi, quod dictum est, tertia & quartæ generationi peccata redditurum Deum; his utique legitimè atque debite, qui parentum peccata perseverantes tenere, quam Dei iustitiam sequi maluerint. Nam non pertinere patris peccata ad filium justè viventem propheta Ezechiel apertissimè ostendit.

§. XIX.

§. XXIX.

Quæ verò interpretationes ut secum invicem minimè cohærentes nequaquam ad solutionem nodi nostri faciunt, textumque non tam illustrant quam obscurant. A literâ enim sine causâ recedunt, & fluctus in simplô movent, cum allegorice interpretationis nulla in totô contextu extent vestigia. Nonne autem, si cuique pro lubitu suô verbum Dei in ejusmodi allegorias vertere integrum fuerit, tota Scriptura reddeatur incerta? Quæ mysteriis sacrissimâritas? Quæ fidei remanebit certitudo? Scripturam non esse idias θηλύσεως, seu proprie interpretationis, Petri effatum est 2. Pet. 1. 20. Utique igitur non pro lubitu interpretatio mystica Scripturis inferenda, sed ex ipsâ Scripturâ sensus genuinus eruendus, qui ex verbis immediatè colligitur, potissimum in præceptis moralibus, promissionibus & comminationibus; quam regulam ipse supeditat Hieron. super c. 4. Galat. Allegoria non est querenda in præceptis, quæ ad vitam pertinent, aut in his, quæ perspicua & manifesta sunt. Idem in Origine notat, Epist. ad Pamphilach. quod ita allegorizet, ut historiæ auferat veritatem. Addi meretur Augustini dictum L. VIII. de Genes. ad liter. c. I. Figuratè qui omnia dici in sacris literis credunt, falluntur.

§. XXIX.

Secundam occupet classem Theodoretus, qui Quæst. in Exod. Quæst. 40. verba Dei Exod. XX. nudam in se continere comminationem, quam non subsequatur executio, existimat. Apud Dominum Deum, inquit, majores sunt comminationes, quāmp̄nē, quod ex Scriptura Divina facilè perspicitur. Omnis enim, inquit, masculus incircumcisus, qui non fuerit circumcisus octavo die, delebitur. (Gen 17.) Reperimus tamen multos circumcisos, variis modis in desertō periisse: incircumcisos autem servatos esse, & promissiones majoribus factas esse consecutos,

quos in Galgalis Josue circumcidit. Sic & familiis fermentum
 habentibus interitum minatus est, non tamen pro modo minarum
 supplicium sumpsit. Hoc quoq[ue] loco terret illos minis, qui filios di-
 ligunt, & eorum curam habent, & ait, Reddens peccata patrum
 in filios usq[ue] ad tertiam & quartam generationem, his qui oderunt
 me. Quod autem nudam literam attendere, non sit religioni
 consentaneum, Deus ipse demonstrat, legem contrariam statuens,
 nempe: Non morientur (inquit) filii pro patribus, nec patres pro
 filiis: sed unusquisq[ue] pro peccato suo morietur. (Deut 24.) Et per
 Ezechielem Prophetam ait: Quae est parabola vestra, quam di-
 citis, Patres comedenter unam acerbam, & dentes filiorum obstu-
 puerunt? vivo ego, dicit Dominus, si ultra erit hec parabola:
 sed obstupecent dentes eorum, qui comedenter uvam acerbam.
 Quoniam me & sunt omnes anima. Et quae sequuntur ejusdem sunt
 sententiae. Ego autem verius puto, clementiam Divinam commi-
 nationes praeferre. Adiectum est enim istud, His, qui oderunt
 me: hoc est, patientia uxor erga patres, qui deliquerunt, itidem
 & erga filios. Si vero nepotes & posteri patrum & majorum ne-
 quitiam securti fuerint, supplicium sumam: Faciens, inquit, mis-
 ericordiam in millia & myriades, his, qui diligunt me, & observant
 mandata mea. Reperiet autem quispiam ipso facto Divinorum
 eloquiorum veritatem. Quinta enim generatione, inquit, filii
 Irael ascenderunt ex Egypto: nihilominus non luerunt penas,
 qui in Egypto coluerant Deos Egyptiorum, neg[are] patres illorum,
 neg[are] avilorum: isti tamen, qui majorum illorum securi sunt im-
 pietatem, supplicium pauci sunt: quia post tant a beneficia accepta
 & tam multa miracula edita, non abjecerunt impietatem. Ho-
 rum autem filii, qui Deum Salvatorem dilexerunt, promissa fa-
 cta majoribus obtinuerunt. Et in eo perspicitur certitudo promis-
 sionei patribus facta, quod gentes per semen Abrahae consecuta sunt
 bene-

benedictionem. Minatur ergò illis supplicium, quia vitulum erant adoraturi. H. J.

§. XXX.

Verum multa sunt in hac Theodoreti conciliatione, quæ reprehensionem merentur. Siquidem ex comminatione illâ Divina campanam facit sine pistillo, & Dei misericordiam nimis latè interpretatur, eoque ipsô securis hominibus pulvillos substernit, quos eadem tenere solet persuasio. Sanè si ista conciliatio locum haberet, omnibus impiis hominibus, poenam mitiorem, certè non æternam, sed post certi temporis metas, terminandam: imò diabolum ipsum, ejusque angelos tandem aliquando ex inferni poenis eruptum iri credendū esset, quemadmodū ita Originem statuisse multi volunt. Vid. Huetius Lib.2. Orig. Quæst. XI. Num. 16. Quæ sententia si propterea bona & vera, quia misericors est, tanto melior erit & verior, quamvis misericordior. Extendatur ergò ac profundatur fons hujus misericordie usq; ad damnatos Angelos, saltem post multa aig. prolixa quantumlibet secula liberandos, inquit Augustin. L. XXI. de C. D. c. 17. Gratus & misericors est Deus, longanimes & magnus miseratione, quemq; pœnitere solet mali Joel. II. 13. sed non nisi apud pœnitentes. Conversi conversum inveniunt. Momento loquor contragentem, aut contraregnum, ad evellendum & ad destruendum, & ad perdendum. Quodsi conversa fuerit gens ista à malitia suâ, (propter) quam locutus sum contra eam: pœnitabit me super malo, quod cogitavi facere illi, Jerem. XVIII, 7. 8. Ab hac verò Dei misericordia pœnitentibus tantum propitia non statim licet inferre, quod illa omnibus promiscue talis futura sit & à poenis, quas semel intimavit, remissura.

§. XXXI.

§. XXXI.

Non obstant, quæ Theodoretus pro sententia sua confirmanda adducit, de circumcisione omissa, de familiis fermentum habentibus, de Israelitis in Ægypto idololatriæ detis, quibus nullam poenam fuisse infictam, utut comminatione fuerit facta, in Sacris legitur. Quod primum attinet, scilicet circumcisionem, certum est, illam integris 40. annis, quibus Israelitæ in desertō oberrarunt, intermissam esse, uti Jos. V. 5. legere est, quos eapropter non delevit Deus, sicut quidem antea decreverat Gen. XVII. 14. *Masculus præputiatus, qui non circumcidetur carnem præputii sui; hæc inquam anima excindatur ex populis suis,* (eo quod) *fædus meum irritum fecerit.* Quæ hujus dispensationis causa? Putant nonnulli, non adeò necessariam fuisse circumcisionem Israelitis in deserto, quod illam ordinasset Deus, ut posteri Abraham discernerentur ab omnibus aliis gentibus, cum hi pér loci naturam satis segregati ab omnibus aliis populis jam essent: Ita sentit Theodoret. Qu. 2. in Jos. & Damasc. L. IV. Orthod. fid. c. 26. Ast probabilior est aliorum opinio, qui dicunt, causam intermissæ in deserto circumcisionis fuisse continua populi itinera, quæ, quoniam ad motum columnæ nubis valdè incertum, disponenda erant, Exod. XL. 36. Num. IX. 17. ideo siquidem Deum, ne præsentissimū vitæ periculum incurserent recens circumcisi, in deserto horrido de loco in locum portandi, indulsisse Israelitis circumcisionis dilatationem, donec in terram Canaan, ubi sedes figenda erat, venissent. Intermissa igitur fuit circumcision modo ad tempus, neutiquam penitus neglecta, aut contempta. Ast lex de refractariis & malitiosis foederis Divini contemptoribus loquitur, *את בריתך הפל fædus meum violavit, contempst;* quam gravissimam comminationem *adultos potissimum concernere,* qui

qui vel propriam circumcisionem contemnunt, ut vult Justinus ex Patribus, & Cajetanus ex Interpretibus Pontificiis, vel qui filiorum suorum circumcisionem negligunt; quæ ententia firmatur ex eō, quia verba Hebræa etiam legi possunt astrictive hoc modo: *Masculus*, qui non circumcidet carnem præputii sui, exscindetur &c. nec deest expositioni huic autoritas, cum & Chaldaica Paraphrasis activè verba hæc accipiat: *Masculus habens præputium*, qui non circumcidet carnem præputii sui, peribit; & ex Patribus probaverit illam Ambrosius, ex Rabbinis Aben Esra, ex Nostratibus, Gerhard. in Loc. de Sacram. §. 66. cui consentiunt Pagninus & Tremellius. Atque ita intelligitur, cur cominetur Deus poenā hanc, nempe propter culpam, quæ in neglectu circumcisionis vel propriæ vel filiorum patescit; ut eapropter, ubi cessat culpa, ibi quoque cessare poenam dicendum, nec opus sit ad illud provolare effugium, quod comminatio Divina fuerit sine effectu.

Secundum exemplum, quod poena comminationem Divinam non fuerit insecura, Theodoreto suppeditant familiæ fermentum habentes, de quibus non pro modo minarum poenam sumplerit Deus; ast hoc quidem dicit, sed nequaquam probat. Nobis potior hæc in parte videtur Riveti sententia, qui Comment. in Exod. XIV, 19. ita scribit: *Capitale fuit tum Ebreis, fermentum comedere in diebus azymorum. Existimo enim, executionem mandata amfuisse magistratu, ut in sabbathi violatione, eis id nominatum non expresserit: sed parum legum verisimile est in sanctionibus & pénis execuendis, parem rationem fuisse. Magistratu autem non animam advertebat, Deus nihilominus iudicia sua exequebatur.* Omnia minimè tertium huc quadrat exemplum de quinta Israelitarum generatione, ex Aegypto descendentium, qui non parentum avorumque suorum

rum idolatriam fuerunt. Israelitarum plurimos idolis in Aegypto adhaesisse, admodum probabile est, quamvis Peregrinus Disp. 7. super Exod. c. I. num 31. in negativam n. agis propendere videatur; id certe innuit Ezechiel XXIII, 3. 8. 19. 21. & 27. ubi ait mulieres duas, Samariam videlicet & Jerusalem, fornicatas in Aegypto in adolescentia sua. Quod c. XX, 7. 8. antea confirmaverat, eosnempè, contra expressam Dei prohibitionem, ne se polluerent stercoreis Diis Agyptiorum, rebellasse, noluisse auscultare, atq. res detectandas oculis suis non abjecisse, nec stercoreos Agyptiorum deos dereliquisse. Pro tam immanni peccato poenam gravissimam passi sunt Israelitae in dira ac dura illa servitute Agyptiaca, disponente ita Deo, ut ab eorum moribus & superstitionibus abhorrent, quorum contagio fuerant infecti. Poena hac contentus tunc temporis erat Deus, nec opus habebat eandem in filios ac nepotes statuere. Quod enim tali modo procedere vellet, demum post exitum ex Aegypto factum, promulgaverat. At notum est, quod omnis lex demum à tempore promulgationis efficaciam suam habeat. Igitur non est, cur ab intermissione hujusmodi poenæ Theodoreus Divinarum comminationum veritati quicquam detrahere possit.

§. XXXIII.

Missa hac conciliatione ad tertiam properamus classem, quomodo alii nodum contradictionis inter controversa hæc loca solvere conentur, visuri. Communiter hoc ita fieri posse judicant, ut dicant in Exodo agi de ejusmodi liberis, qui peccatorum à parentibus commissorum fiunt complices, pios verò innocentesque ab hæc comminatione excipiendo esse. Huic expositioni favet Onkelos, qui ita vertit: *Ego Dominus Deus tuus, Deus Zelotes, visitans peccata parentum super filios transgressores.* Eandem versionem & explicacionem

nem multi ex Patribus sectantur. Hieron. Comment. in Ezech. ad c. 18. *Injustitia videtur, inquit, alium peccare, & alium luere peccata.* Si enim reddit Deus peccata patrum super filios in tertiam & quartam generationem, *injustum videtur, ut alius peccet, & alius puniatur.* Sed ex eo, quod sequitur, his qui me oderint, comminationis seu praecepti scandalum solvitur. Non enim ideo puniuntur in tertia & quarta generatione, quia deliquerunt patres eorum, cum patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint; sed quia patrum extiterunt emulatores, & oderunt Deum hereditario modo, & impietate in ramos quoq[ue] de radice crescente. Chrysoft. To. I in Homil. super Ps. LXXXIV, (LXXXV,) v. 6. verba: *Non in eternū irasceris nobis, ita scribit: Gratias tibi Deus, qui addidisti* (Exod. XX, 5) *in iis, qui non cognoverunt me. Ceterum si taceres, omnes damnares.* Demonstrasti ergo, quia pater, si fuerit contemptor tuus, & filius talis fucrit, aque tibi non obediens, & nepos secutus fuerit vias avi & patris sui: pronepos sita attenderit, quod anterior generatio ejus: quia ergo te non cognoverunt, rependes eis secundum tertiam & quartam progeniem &c. Paulo post: *Unusquisque pro facinore suo judicabitur, pro peccato suo punietur, pro malis suis in pœnam eternam mittetur.* Et Augustinus To. VI. op. Libr. advers. Adimantum c. 7. ait: *Ex eō, quod addidit: Qui me oderunt, intelligitur, eos puniri peccatis parentum, qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt.* Tales enim non sacerdicia, sed potius justitia Dei & sua iniustitate puniuntur. Brevi post: *Nam non pertinere patris peccata ad filium justè viventem,* Propheta Ezechiel apertissime ostendit c. XVIII, 14.

§. XXXIV.

Idem Augustinus To. VIII. super Ps. CVIII. (CIX.) ita commentatur: *In memoriam redeat iniunctas patrum ejus in conspectu Domini, & peccatum matris ejus non deleatur.* An in-

F 2

telli-

telligendum est, ut reddantur ei peccata etiam parentum suorum? Ei quippe non redduntur, qui fuerit mutatus in Christo, & cœperit esse non filius iniquorum, non imitatus mores illorum: quia illud verissimum scriptum est: Reddam peccata patrum in filiis, & illud, quod per Prophetam dicitur: Et anima patris mea est, & anima filii mea est. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Hoc quippe dictum est de his, qui convertuntur ad Deum, & non intentantur mala parentum suorum, quod ipse Prophetæ evidenter ostendit. Dicit enim, parentum iniquitates eis non obesse, qui iustitiam faciendo disimiles fuerint. Illud autem quod dictum est: Reddam peccata parentum in filios: additum est, qui oderunt me, hoc est, sicut me oderant & parentes eorum: & quemadmodum bonorum imitatio facit, ut etiam propria peccata deleantur, sic malorum imitatio faciat, ut non solum sua, sed etiam eorum, quos imitati sunt, merita sortiantur. Si ergo Judas teneret illud, ad quod vocatus est, nullo modo ad eum vel sua præterita, vel parentum iniquitas pertineret. Sed quia non tenuit adoptionem in familia Dei, sed iniquitatem vetusti generis potius elegit, rediit iniquitas patrum ejus in conspectu Domini: ut in eō etiam ipse puniretur, & peccatum matris ejus non deleretur. Gemina docent Anastasius Quæst; in Exod. Acatius, Severus, & Diodorus, qui citantur in Catena Græcorum Patrum ad C. XX. Exodi, Gregor, M. L. XV. Moral. in Job c. 31. Anshelmus c. 25. de conceptione Virginis, Rabanus Maurus ad c. XX. Exodi. Eandem conciliandi rationem sectantur ex Nostratibus, Luc. Osiander, in Ezech. XVIII. Joh. Pappus Scholiis in eundem locum. Danhayver. in Colleg. Decalog. p. 164. Pruckner. in Vindic. Biblic. Vinariensis. Calov. in Bibl. illustrat. Joh. Ad. Osiander ad Exod. c. XX. E Reformati Whitakerus To. I. Oper. Disp. de S. Script. Controv. I. Quæst. IV. C. 3. Ex Pontificiis, Cornel. à Lap. Comm. in Ezech. c. XVIII, nec non

non Judæorum pluri^mi, quos pro se citat Calov. ad Ezech.
c. XVIII.

§. XXXV.

Verūm utut extra dubitationis aleam sit positum, filios,
qui peccata parentum imitantur, eorundem pariter peccare
fieri hæredes: & qui impiis progenitorum vestigiis non insi-
stunt, Divinæ benedictionis participes redi; tamen illud
præcisè ita in Exodo significari, hoc est, quod negamus.
Textum enim accuratus introspicientibus, patet Deum
comminari, se visitaturum iniquitatem patrum eorum, qui
odio prosequuntur ipsum. Qui ῥεγδιοτησμὸς, inquit Feur-
born. Disp. 2. §. 53. primò intelligitur de parentibus, ut clarius
patet ex Hebraeo texta, ubi est לְשׁוֹנָא. Enī in hac restrictione non
habetur particula עַל al, que fuit in precedentibus: sed præfi-
xum עַל lamed, quod cum ab antegresso nomine regitur, notat
Genitivum. Est autem hic Ellipsis duarum vocum עַל־בִּנֵי al-
bene, id est, in filios, quæ voces repetendæ sunt ex verbis preceden-
tibus, ut integra oratio hec sit: Visitans iniquitatem patrum in
filios, in pronepotes & abnepotes, in filios, inquam, eorum (pa-
rentum) qui oderunt me. Idem observat Danhavver, in Col-
leg Decalog p. 164. Joh Ad. Osiander in h. l. item Summè
Venerab. Dominus D. Mayer in Disquisit. de salute infantum
sine baptismo decadent. Sect. 4. §. 8. & Piscator Qq. in Exod.
c. XX. qu. 201. Potest etiam aliis argumentis hæc expositio
refelli. Nam (i) si loqueretur Deus de filiis, qui oderunt ipsum,
imitantes parentes suos, loqueretur etiam de iis, qui Deum
diligunt eodem modo, ac proinde, aut diceret in tertiam &
quartam generationem, & non in millia; aut certè erga eos,
qui Deum oderunt, in mille etiam & penè infinitas genera-
tiones portenderet. Quis enim nescit Deum visitare impio-
rum parentum impiam progeniem in perpetuum? Quod

cum vidisset Augustin. voluit positam esse tertiam & quartam generationem pro universis generationibus', cuius verba superius allegavimus. (2.) Periret omnis gratia comparationis, in quā ita opponit misericordiam justitiae, ut illam extollat in hoc, quod misericordiam exerceat in filios, in mille generationes, propter parentes; cum tamen non puniat eorum peccata in filiis, nisi usque ad tertiam & quartam generationem. (3.) Non tam puniret Deus peccata parentum, quam filiorum. Quænam autem esset hæc dehortandi ratio: cavete vobis ab idolatria, quia si filii vestri ad quartam generationem commiserint eandem, eos puniam.

S. XXXVI.

Subjicienda nunc *quarta classis*. Jam aliquot ex Augustino attulimus conciliations horum Scripturæ locorum. Ille verò adhuc aliam in Enchirid. c. 46. & 47. To III. Op. nobis reliquit, putans in Exodo de originali pariter ac actuali peccato agi, quod utrumque Deus reddat in filios; apud Ezechielem verò ad baptismi gratiam respici. Parentum quoq; peccatis, inquit, parvulos obligari non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus ipsi nati sunt, non improbabiliter dicitur. Illa quippe divina sententia, Reddam peccata patrum in filios, tenet eos utiq; antequam per regenerationem ad testamentum novum incipient pertinere. Quod testamentum prophetabatur, cum diceretur per Ezechielem, non accepturos filios peccata patrum suorum, nec ulterius futuram in Israel parabolam illam: Patres manducaverunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Ideo enim quisq; renascitur, ut solvatur in eo, quicquid peccati est, cum quō nascitur. Nam peccata, quæ malè agendo postea committuntur, possunt & pænitendo sanari, sicut etiam post baptismum fieri videmus. Paulò post probaturus non tantum Protoplasmorum, sed & parentum majorumque pec-

peccata liberis inputari, & quousque hæc fiat imputatio declaraturus, verba ex Ps. LI, 7. expendens : *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis mater mea me in utero aluit, ita scribit : Neq; hic dixit : In iniquitate vel peccato, cum & hoc re-est dici possit : sed iniquitates, & peccata dicere maluit. Quia & in illo uxo quod in omnes homines pertransiit, atq; tam magnum est, ut in eō mutaretur & converteretur in necessitatem mortis humana natura, sicut supra differui, reperiuntur plura peccata, & alia parentum, que et si non ita possunt mutare naturam, reatu tamen obligant filios, nisi gratuita gratia & misericordia divina subveniat.* Sed de peccatis aliorum parentum, quibus ab ipso Adamusq; ad patrem suum, pro generationibus suis quisque succedit, non immergi disceptari potest : *utrum omnium malis actibus & multiplicatis delictis originalibus qui nascitur, implicetur, ut tantid pejus, quanto posterius quisq; nascatur : an propterea Deus in tertiam & quartam generationem de peccatis parentum eorum posteris comminetur, quia iram suam quantum ad progeneratorum suorum culpas non extendit ulterius moderatione miserationis sue : ne illi quibus regenerationis gratia non confertur, nimia sarcina in ipsa eterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium precedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere, & pœnas pro eis debitas pendere.* Tandem quam parum certus sit hujus sententiae exponit eamque in suspenso relinquit : *An aliud aliquid de re tanta in Scripturis sanctis diligenter perscrutatis atq; tractatis valeat, vel non valeat reperiri, temere non audeo affirmare.*

§, XXXVII.

Fandem conciliationem iisdem ferè verbis instituit Leo M. Epist. 86. Gregor. M. quoque L. XV. Moral. c. 22. in Exodus de Originali peccato, apud Ezechielem verò de actua i peccato agi & ad baptismi gratiam respici existimat. *In utrag; hac*

hac sententia, inquit, dum dissimilis sensus invenitur, auditoris animus ut discretionis viam subtiliter requirat, instruitur. Peccatum quippe originale à parentibus trahimus: nisi per gratiam baptismatis solvamus, etiam parentum peccata portamus, quia unum adhuc cum illis sumus. Reddit ergo peccata parentum in filios, dum pro culpa parentis, ex originali peccato anima polluitur prolis. Et rursum non reddit parentum peccata in filios, quia cum ab originali culpa, per baptismum liberamur, jam non patrum culpas, sed quas ipse committimus, habemus. Verum quā plurima sunt in hac conciliatione, quæ cum veritate sanæ doctrinæ conciliari, minimè possunt. Nam (1) præsupponunt in Exodo de originali peccato tractari, cum de actuali agatur. Patet hoc (a) ex comminationis additæ fine, qui eò tendit, ut homines ab idolatria retrahantur; quævis cœteroquin cohortationis ratio esset: cavete vobis ab idolatria, alias peccati originalis retenebuntur liberi vestri. (b) Peccatum, quod reddere vult Deus in filios, patrum dicitur peccatum; ast originale peccatum propriè loquendo non patrum, sed patris est. (c) Si originale hic intelligeretur peccatum, dicendum fuisset, non quod in tertiam & quartam generationem, sed in infinitum reddere vellet Deus. (2) Erroneum est Augustini & Leonis assertum, parvulos obligari, non solum primorum hominum, sed etiam suorum, de quibus natū sunt, parentum peccatis. Idque quod jam superius refutatum à nobis. Sanè ne quidem Adami peccata post primum commissa in posteros propagari dicere quis potest, multò minus hoc de actualibus posteriorum peccatis pronunciari poterit. Nec juvat Augustinum allegatus ex Psalmo locus. *Ecce in iniurias conceptus sum, & in peccatis comedit me mater mea.* Nam (a) fecutus hic ille Vulgatam & LXX. quorum versioni fontem Hebræum opponimus, in quō

quō ita fluunt verba : בְּשׂוֹן חֲלַלְתִּי וּבְחָטָאתִי אָמַר in iniquitate formatus sum, & in peccato calefecit me mater mea; ubi recte Bellarminus in h. l. observat: Peccatum originale, quod in conceptione contraximus, unum est, non multa. (b) Unum illud originis peccatum etiam in plurali numero dici potest, quia est fons omnium aliorum peccatorum, & in illo concluduntur omnia. (3.) Et in eo rem non tangunt, quando baptismum modo ad originalis peccati remissionem facere prae supponunt. Ex hypothesi illorū iniquitates & peccata in Ps. Ll. tam actuale quam originale denotant peccatum; atqui baptismus facit ad remissionem peccatorum, ita enim Petrus A& II, 38. βαπτισθήτω ἔκαστος ὑμῶν ἡλίκης εἰνεπαν ἵνα κεραυνὸς ἀφεσθε ἀμαρτησίαι ; Baptizetur unusquisque verbum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum; Ergo etiam actualia peccata per baptismum abluuntur. Sed quid ad illud, quod (4) sentiebat Augustinus, verba Dei apud Prophetam de beneficiis per Christum conferendis interpretanda esse? Videtur adductus in hanc sententiam, quod quum Hieremias. c. XXXI, 31. idem ferè scribat, statim subjecta sit promissio N. T. Ecce, inquit, dies venient : feriam cum domo Iuda pactum novum. Verum ne iste quidem sensus videtur accedere ad mentem Spiritus S. Quamvis enim Christus tempore N. T. passus sit, tamen mortis ejus vi & gratia, pueri in V. quoque T. servabantur. Quid ergo dicere oportuit: Posthac non iusta erit, quum ne antea quidem ita fuerit ? Adhæc illi etiam, qui sunt extra Christum, iniquitatem suam portant, neque pro alieno peccato luunt poenas, sed pro suo. Dicendum itaque sententiam Prophetæ generaliter veram esse: & omnes vel pueros, vel adultos, tam V. quam N. T. portare quemque iniquitatem suam.

§. XXXVIII.

Quintam Classem constituant illi , qui apud Pradum Com. in Ezech. l. c. locum Exodi de poenis levioribus, utpote facultatum vel honoris interpretantur, in quibus merito filii propter parentum delicta, plecti solent, ne paterna sequerentur vestigia, quod fieri posset si iis divitiae essent: locum Prophetæ verò accipiendū de poena capitali volunt; quibus favet illud Deuteronomii XXIV. 16. *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur*, item exemplum Regis Amatziæ, qui laudatur, quod ex præscripto legis Mosaicæ, non occidisset filios homicidarum patris sui, 2. Reg. XIV. 6. *Enim* verò hæc conciliatio (1.) multis instantiis infringi potest, cum sciamus, ob Davidis peccatum, filium ejus mortuum fuisse: & propter ejusdem elationem in populo numerando, multa millia subditorum, peste consumpta. Ob peccata Jeroboami , Baalæ , Achabi , omnis eorum posteritas excisa est; idem exemplo Achanis Constat Jos. VII. 24. 25. (2.) Sed quoque humanæ leges in liberos capitales poena eorum criminis læsæ majestatis decernunt prout jam supra vidimus; quanquam Christianarum gentium mores à rigore sanctionis istius utplurimum recedant, nec amplius in crimine perduellionis liberos puniant: id quod adducunt Dd. Italorum, Hispanorum , Gallorum, Belgarum & Germanorum testimoniosis probant, Anton. Matth. Tract. de Crimin. ad Lib. XLVIII. Dig. Tit 2. c. 3. n. II. Simon Grönyvegen de II. abrogatis ad d. I. Quisquis §. 1. n. 5. & alii.

§. XXXIX.

Novam, eamque sextam classem faciunt nonnulli , qui apud Ezechielem ad forum Politicum respici, & Magistratui civili normam dijudicandi præscriptam , in Exodo vero jus

Divi-

Divinum, & dominium supereminens omnes in creaturas expressum esse volunt. Hujus sententiæ denuò choragum agit Hipponefis Præful, qui cit. Libr. Quæstion. in Joh. Qu. 7 taliter scribit: *Quæri solet quomodo justè pro alterius peccatis in aliis vindicetur, maximè, quia in lege Dominus dixit, Nec patres pro filiorum, nec filios pro parentum peccatis esse puniendos.* An illud judicantibus hominibus est præceptum, ne quenquam pro altero puniant. Dei autem judicia non sint ejusmodi, qui alto & invisibili consilio suo novit, quatenus extendat etiam temporalem hominum pænam, salubremque terrorem. Consentit Waltherus in Harmonia ad l. c. Ezech. Verba Prophetæ talem pandunt legem, quam Deus dedit hominibus, non sibi. In humanis iudiciis ipse hoc strenue vult observatum, ut nemo puniatur pro altero, sed unicuique tribuatur secundum opera sua. Ipse vero se ad legem hanc non adstrinxit. Paria Hugo Grotius in Annotat. ad Ezech. l.c. subjicit, nisi quod dominium Dei in homines urget, & insuper aliqua de N. T. in quo major justitiæ Divinæ sit rigiditas, addat Ita ille: *Deus vita necisq; omnium dominus potest ob peccata parentum, etiam posteris, aut immaturam mortem, aut servitutem immitere: & cum id facit, ut fecit aliquoties, nemini facit injuriam.* Regibus autem, qui tale dominium non habent, merito id lex interdicit. Cæterum appropinquante jam Evangelii tempore, Deus exactius justitiam suam apparere, ideoq; impios omnes gladio, peste, fame interire voluit, minus malos mori in servitute, bonos redire liberos in patriam.

§. XL.

Tres in adductis hisce expositionibus propositiones continentur, quæ singulæ expendi merentur. (1.) Apud Ezchielim, magistrati tantum præscriptam esse legem, non item Deo. (2.) Dei dominium supereminens in homines hic obtinere (3.) ad N. T. apud Prophetam respici, cuius tempore major observetur rigiditas quam in V. T. De singu-

lis hisce succinctè. Quod *primam* concernit *propositionem*, dicimus, frustra & invito prorsus textu, illam proferri. Nam (1.) Judæi non de fori iniquitate, vel poena à magistratu aliquo sibi illata, sed de eversione regni sui conquerebantur. His nunc occurrit Deus, & talem querimoniam vult impostorum esse abrogandam. (2.) Expressè Deus pronunciat, quid ipse facere velit: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur;* non sibi legem ferens, sed quid justitiæ suæ sit consentaneum, decernens. Est hæc justitia ipsi naturalis atque essentialis, ideoque ejus perpetuum & immutabile jus concernit. Quod etiam lege illa Deut. XXIV, 16 designatur. Nam si tantum de eō ageret Dominus, quod posthac adversus Judæos uti velit ordinario providentiaæ suæ cursu, uti Grotius vult, non verò quid juri & justitiæ consentaneum sit, cur hanc sibi juris maximam lege sancivit: *Non morte afficiantur patres pro filiis, neq; filii pro patribus: sed quisq; ob peccatum suum morte afficietur.* Quæ collatio docet, omnino hoc juris esse perpetui & immutabilis, non autem positivi tantum. Quia justitia Divina non permittit, ut homo prorsus innocens aliquā poena afficiatur. Etsi ergo nullà adstringatur lege Deus, sibi ipsi tamen lex est, nec justitiam suam migrare, aut se ipsum abnegare potest.

§. XLI.

Nunc de dominio Divino aliquid addendum. Hugo Grotius L. II. de J. B. & P. c. 21 §. 14. quæstionem: *In quantum unius culpa transeat ad alterum, decidens, ita se explicat: Deus quidem in Lege Hebreis data paternam impietatem in posteros se vindicaturum minatur: sed ipse jus dominii plenissimum habet, ut in res nostras, ita & in vitam nostram, ut munus suum, quod sine ulla causa & quovis tempore auferre cuivis quando vult, potest.* Respond: (1.) Etsi Deus, ceu vita necisque arbiter, pro abso

luta

soluta sua potestate de nobis & nostris statuere habeat, de vita & fortuna nostra, adeoque mortem aut servitutem nobis nostrisque immittere, ut vult, & quibus vult, vigore supremæ potestatis suæ, possit; non tamen secundum jus & dominium absolutum spectari vult, nec illud fas est à justitia ipsius separare, & aliter considerare, quam quo modo illud nobis in verbo suo revelavit, coeteroquin illud etiam ad æternam damnationem extendi posset, quemadmodum à Mose Amyraldo factum in Dissertat. de jure Dei in creaturas, ubi statuit, neg. bonitatem, neq. justitiam prohibere, quo minus Deus posset creaturā innocentem addicere cruciatibus eternis àevi Ævoc; item in Tractatu de Prædestinatione c. 4. his verbis: *Si Deus statim postquam hominem condidit, eum in profundam inferorum abyssum demersisset, nulla habita ratione actionum ipsius seu bonarum, seu malarum, tantum ut summum suum in creaturas imperium ostenderet, debuisse hominem in ea severitate non invitum acquiscere, quia creatura creatoris est, ex absoluто jure atq. indefinito.* Quem rigorem statim sibi confutandum sumpsit Petrus Molinæus scripto peculiari libello: *Jus creatoris abso-lutum ad injusta usq. non extendi, nec posse ab eo usurpari in odio prosequendo suo opere, seu justa atq. insonte creatura.* Nam præterquam quod injusta foret ejusmodi pœna, Deum hac ratione hominem etiam redditum improbum, & ad sui odium atq. mur-mura impulsurum: eo quod fieri non posset, ut homo, qui nullum ex suo erga Deum amore fructum perciperet, quamdiu Deus cum odisset ac in æternum cruciare, aliter erga ipsam affectus esset. Videndum etiam Currellæus l. c. De jure Dei in creaturas, in quō libro Amyraldi sententiam (quantum hoc benè) ex instituto refutavit. (2.) Non opus est, ut ad hoc dominium Dei recurramus. Non enim patrum criminis Deus in filiis persequitur tantum ex ratione illa, sed præcipue ex yicjusti-

tiæ suæ, ex cuius dictamine præmia & poenæ distribuit. Causam hanc ipse Deus ponit, cum zelotem se vocat, atque sic ex zelo se visitaturum parentum peccata in liberos, usque in tertiam & quartam generationem minatur. Quod verò Deus agit ut zelotes, seu ut justus scelerum vindicta, id vii justitiae & antecedentis peccati gravitate commotus facit, non vi solius absoluti dominii. Dices, respectu parentum, quorum delicta punit Deus, ex odio agit: respectu liberorum, qui non semper parentum imitantur peccata, adeoque innocentes, aut saltem non æquè noxii sunt, ex summo domino: regero, etiam si sic status formetur, non solùm dominum Dei supremum, exclusa ejus justitia, hic rem conficeret totam. Quando enim quæritur causa, ob quam visitare velit Deus parentum iniquitatem in filiis, recurrendum utique ad odium parentum adversus Deum, quod justitiam ejus punitivam movet.

§. XLII.

Sequitur nunc paucis expendenda tertia propositio, quam H. Grotius hisce effatur verbis: *Appropinquante jam Evangelii tempore, Deus exactius justitiam suam apparere, ideoq; impios omnes gladio, peste, fame interire voluit, minus malos mori in servitute, bonos redire libros in patriam.* Putat, quod verba apud Ezechielem v. 5. Non erit ultrà vobis parabola hæc in proverbium &c. ad N. T. tempora respiciant, quasi quidem hæc poenarum genera non jam in V. T. impiis significata fuissent. Vid. verò Deut. XXVIII. ubi vastum catalogum ejus malorum recentet Deus, quibus peccatores visitate vult. Tale profeſto discriben inter V. & N. T. tempora, quod exactius justitiam suam Deus in impiis puniendis & bonis liberandis apparere voluerit sub N. T., nusquam tradidere S. literæ; illud ergo non supponendum tanquam ὁμολογύμενον, sed proban-

bandum ab H. Grotio fuisse. Rectius dixisset, gratiam suam
 Deum exactius apparere voluisse sub N. T. quia tum ἡ χειρὸς θεοῦ
 καὶ ἡ φιλανθρωπία ἐπεφάνη τῷ σωτῆρος ἡμῶν Θεῷ, *Benignitas &*
amor apparuit Servatoris nostri Dei, Tit. III, 4. Observat hanc
 in rem Ursinus in Analect. Sacr. L. V. n. 19. in V. T. Deum
 sæpius risisse, non flevisse; in N. flevisse, nunquam risisse
 legi. Loca de risu nota sunt, Ps. XXXVII, 13. Prov. I, 26.
ubi ridere Dei est humane nolle affectioni misereri, juxta Gregor.
 M. L. 9. Moral. c. 20. Ps. LIX, 9. de lachrymis agitur Luc. XIX,
 4. Joh. XI, 35. Hebr. V, 7. n. Causa, quod in V. T. Deus suam
 severitatem patefacere voluerit in primis, in Novo benigni-
 tatem. Nam ut lachrymis ejus nihil dulcior, aut affectuo-
 sius, sic risu nihil terribilis. Evidem etiam in V. T. quam-
 plurima bonitatis Divinæ erga homines documenta extitisse
 negari non potest; in Novo tamen tanto laudentiora & am-
 pliora illa sunt, quanto lex Evangelio præstat. Quò respi-
 ciens Paulus 2. Cor. III. 6. seqq. notanter scribit: *Qui (Deus)*
etiam idoneos fecit nos, (esse) ministros Novi Testamenti, non
literæ sed Spiritus, litera enim occidit, Spiritus autem vivificat.
Si vero ministerium mortis in literis, effigiata in lapidibus, fuit in
gloria, ita ut non potuerint intueri filii Israelis in faciem Mosis,
proper gloriam faciei ipsius, que tamen abrogatur: qui non ma-
gius ministerium Spiritus erit in gloria? Si enim ministerium con-
demnationis, gloria (est,) multò magis abundat ministerium ju-
sticie in gloria. Quibus verbis Apostolus ministerium Novi
 Testam. præ ministerio V. T. mirifice extollit, idque con-
 demnationis, hoc justitiae appellat. Fuerit enim jam in
 V. T. Evangelii gratia, neque in N. T. lex omnino obmu-
 tuerit; manet tamen Veteri Testamento proprium ostende-
 re, in quam misericordiam homo per lapsum fuerit prostratus, &
 se ipsum erigere non possit. Hoc enim fit beneficio legis,
 quæ

quæ iram operatur, Rom. IV, 15. Non perfectè obedientes
damnat, iram non tollit, Gal. III, 10. Testamenti verò No-
vi proprium est, hunc medicum directè ostendere, ejusque
beneficia commendare, adeoque Evangelium prædicare,
juxta Matth. XXVIII, 19. Unde Evangelium dicitur *promis-
sio vite eternæ*, I. Joh. II, 25. *Evangelium gratiæ Dei*. A& XX,
24. *ministerium reconciliationis*, 2. Cor. V, 18. Quodsi ve-
rò in V. T. vita, salus & gratia fuit prædicta, id beneficio
Evangelii factum est & propriè ad N. T. pertinet.

§. XLIII.

Septimam ad classem referri meretur singularis nonnullorum opinio, qui sentiunt, qualiter in judicio Divino ho-
mines ex futuris etiam judicentur, secus quam in foro Politi-
co evenit, ubi secundum acta & probata formari solet sen-
tentia. Quodsi verò hoc, sequitur ita inter controversia no-
stra loca institui posse concilationem, ut dicatur filios im-
proborum parentum, quorum futuram Deus prævidet ma-
litiam, quoque secundum hanc prævisionem puniri, adeo-
qué non alienam, sed propriam portare iniquitatem, ea-
demque mori. Antecedens probabile nonnullis appareat.
Sæpè enim prævisa voluntas, longè antequam esset, Deum
movet ad aliquid decernendum: sic præcognita à Deo, Ægyptiorum adversus Israelitas tyrannis, eum impulit, ut non-
dum natis pœnas statuerit, Gen. XV, 13. 14. Exod. II, 23. 24.
& prævisa circa adventum Messiae futura incredulitas causa
fuit, cur Deus pœnam rejectionis, longè antequam nasceren-
tur, Judæis decerneret, Esa. LIII. Dan. IX, 16. Extant talia
Scripturæ dicta, quæ voluntatem bonam, licet nunquam in
actum deductam, in judicio Divino imputari evincunt. Vid.
Matth. XI, 21. 22. Luc. X, 13. 14. Ubi prævisa Tyriorum &
Sido-

Sidoniorum (*si apud eos facta essent miracula*) voluntas resipiscendi Deum movit, ut eorum conditionem tolerabiliorem, quam Chorazitarum & Bethsaidanorum in die judicii, futuram prædixerit, decreveritque. Ita quid obstat, quod minus dicatur, prævisum contemptum verbi, acut licet non annunciat, nec unquam forte annunciant, DEum ad hanc poenam infligendam impulisse? Novit namque Deus Evangelium suum, si huic vel isti genti annunciaretur, præfracte rejectum iri, indeque ad cognoscendam hominum voluntatem, non opus est conditionem, ex qua illa cenietur, in actum transire: neque ubique requiritur ad valorem virtualis voluntatis, ut aliquando futura sit; impellit enim Deum ad aliquid decernendum, non ut est præcisè futura, sed ut huic vel illi homini ita propria est, ut ab eo separari non possit, & in actum dederetur, si haec vel illa conditio eveniret.

§. XLIV.

Sententiam hanc jam ævo Augustini patronos suos invenisse, ex illius Epist. CVII. constat, sed quam Beatus Pater ridendum & execrandum vocat errorem, quo putatur, quod homines secundum suas futuras, que morientium non sunt future, judicandi sint errores; idque his rationibus confirmat: *Quomodo secundum voluntates suas futuras homines judicantur, quas habituri fuissent dicuntur, si diutius tenerentur in carne: cum dicat Scriptura Apoc. XIV. Felices mortui, qui in Domino moriuntur, quorum sine dubio certa & secura felicitas non est, si & ea, que non egerunt, sed acturi fuerant, si esset eis haec vita prolixior, judicabit Deus: Nullumq. accipit beneficium, qui rapitur, ne malitia mutet intellectum ejus, Sap. IV. quia & pro ipsa malitia, cui forsitan imminentि substractus est, penas luit: nec gaudendum est de his, quos in fide recta & vita*

H

bonæ

bona novimus esse defunctos : ne secundum aliqua scelera judicentur, quæ fuerunt, si viverent, fortasse facturi. Nec dolendi vel detestandi sunt hi, qui vitam istam infidelitate ac perditis moribus finierunt : quia forte, si viverent, acturi fuerant pænitentiam, pieg, victuri, & secundum ista sunt judicandi. Hisce argumentis addi potest etiam hoc, Scripturam nullo loco dicere, judicandos esse homines secundum ea, quæ gesturi erant, sed quæ gesserunt per corpus. Vid Rom. II, 6, Matth. XVI, 27. 2. Cor. V, 10.

§. XLV.

*Exempla imputatae voluntatis quod attinet, & (1.) quidem Israelitarum Judæorumque tyrannidem ac ingratitudinem à Deo provisam; de hac ita statuendum, quod non ob hanc provisionem, sed ob actus ipsos deinde insecuratos poena fuerit immissa. Prævisio namque Dei aquæ minus peccatorum & poenarum, quam prædictio eclipses à Mathematico facta, ejus causa est, & cum conditio semper conjuncta existit; sed actionibus nostris nullam infert necessitatem, verum habet se ad illas tanquam antecedens ad consequens, cum omne scibile prius sit (ratione) sua scientia. Non enim propterea quod nos te verè putamus album, tu albus es: sed propterea quod tu albus, nos, qui dicimus, verum dicimus; Arist. L. VII. Metaph. c. ult. Aliud simile non-nemo hanc in rem adducit: *Sicut tu memoria tua hand cogis, facta esse, qua præterierunt: ita Dei præscientia non cogit futura facienda, qua futura sunt.* (2.) Tyriorum & Sidoniorum, quibus extraordinaria gratia, miracula fuerant negata, conditio non ideo tolerabilior futura dicitur, quod Deus in illis præviderit virtualem resipiscendi voluntatem, sed quod tam gravib⁹ peccatis, uti Chorazitæ & Bethsaidani se non obstrinxerint. Clarè hoc docet Augustin.*

35

stn. libr. de dono perseverant. c. 9. To. VII. op. Nullus
mortuus judicatur ex bonis seu malis, quæ fuerat, si non more-
retur, acturus: alioqui Tyrii & Sidoni, non secundum ea, quæ
gesserunt, penas luarent; sed potius secundum ea, quæ gesturi
fuerant, si in eis illa virtutes Evangelica facta fuissent, per
grandem penitentiam, & per Christi fidem consequentur salu-
tem. Gravius enim peccant qui in luce verbi & miracu-
lorum versantes ea contemnunt, quam extra illustrem
hanc revelationem constituti, indeque Tyriis & Sidoniis
mitior conditio, quam Chorazitis & Bethsaidis promitte-
batur. Quo pertinent verba Hieronymi in h. l. *Tyrus &*
Sidon naturalem tantummodo legem calcaverant, Judei ve-
rò & naturalem & scriptam ac tot prædicationes Christi & mira-
cula contempserant. Nam illa eorum infidelitas à durtia non
de ignorantia, sed de libera voluntate veniebat. (3.) Quod
quædam Gentes Evangelii luce careant, id certius est, eheu!
quam ut negari queat. Tantum enim abest, ut per uni-
versum orbem illa sese sparserit, ut qui paulò diligentius
in eam rem incubuerunt, subducta ratione diligenter, af-
firmare ausi sint, mundus si in 30. partes dividatur, s-
tantum ex illis à Christianis teneri, 6. ab iis, qui Muhame-
dani impietatem amplexantur, reliquas 19. ab il:is occu-
pari, qui vel Christum olim fortasse cognitum è finibus
suis ejecerunt, vel ad quos nulla de Christo auditio haec-
tenus permanavit. Quorum sanè numerus permagnus est,
ut si in tabulis illis, in quibus orbis terrarum depingi solet,
regiones à Christianis habitatas in igni colore distinguis,
exiguæ sanè sint illæ & angustis admodum limitibus defi-
nitæ, præ earum amplitudine, quas Muhamedanismus &
Paganismus macularunt. Quæ hujus rei proxima & indu-
bia est causa? num futuribilis, ut sic dicam, verbi contem-

ptus? Sed vero quærere quis posset, cur non Tyriorum & Sidoniorum provisa non-rejectio Deum ad actualem verbi annunciationem impulerit? Et si futurus sub conditione contemptus divinam Nemesis ita provocat; quid de tot refractariis judicandum, qui pereunt? Esa. XXVI, 10. XLV, 22. Jer. VII, 23. Zach. I, 2. Math. XXIII, 37. Luc. VII, 30. XIII, 34. Act. XIII, 38. XVIII, 3. Apoc. II, 21. cur non ejusmodi præfractis contemptoribus, pariter subtrahit Deus verbum suum? Dices: regnare in his $\gamma \circ \beta \alpha \theta \circ \varsigma$? Deum esse liberrimum agens, atque pro sua voluntate sæpe salutis media æqualibus dispensare inæqualiter, occulto & impervestigabili judicio. Ita quidem rectè! Enim vero si occulto Dei judicio id sit, quomodo pro causa impulsiva allegatur quarundam Gentium futura sub conditione rejectio verbi? cur non potius suspenditur judicium? aut alia hujus rei causa allegatur?

S. XLVI.

Sequitur octava classis, quam sibi propriam facit magni alicujus Theologi in celebri quadam Academia sententia, cui inter controversa loca nostra, hoc pacto harmoniam institui posse videtur, si dicatur Deum apud Ezechiel non immutabilem sibi statuisse regulam, juxta quam semper exegerit sua judicia, vel imposterum exacturus sit, sed ex speciali cum Judæis indulgentia egisse, abiisque in jus quasi raptum, hic ipsis liberaliter concessisse, non jam de majorum peccatis, sed de personalibus reddendam esse rationem, propriamque causam agendam: interim eo ipso, quando specialem Judæis gratiam fecit, non voluisse

tot

tot facta sua, & ante dicta retractare, aut juri suo, quo majorum peccata in liberis & nepotibus vindicare solet, renunciare. Speciosa hæc sunt, eaque facile nostrum impetrarent calculum, nisi unum & alterum obstaret. Largimur facile Deo in tota hac expostulatione cum refractariis Judæorum rem esse, quos ut reos esse & quævis penitentia genera meritos convinceret, non opus erat culpæ originem ab eorundem parentibus aut majoribus arcessere: tot enim & tanta erant illorum delicta, ut si vel nulla antecessissent parentum peccata, ipsi tamen divinam in se vindictam propriis suis criminibus provocassent, valuerit que de illis dictum Jobi c. IX, 2. 3. Certe novi, quod ita series habeat: & in quo justificabitur homo cum Deo? Si voluerit contendere cum illo: non respondet ipsi una (vice) ex millibus. Verum si sola peccata propria, quæ quisque fecerat, hic in examen revocat Deus, sequitur aut pusiones, qui isthac tempore vivebant, exemptos fuisse ab omni pena, aut in illis aliquam apparuisse culpam. Prius nemo dixerit, cui perspicuum est, qualiter calamitates publicæ non adultos modo ac senes, sed saepius etiam embryones, imo ipsa animalia bruta tangant. Posterior pariter non ita facile quis affirmaverit, nisi respectus simul ad peccatum originale fuerit habitus, cuius intuitu quilibet coram Deo, reus est. At verò unde probabitur, solo originalis peccati respectu, & non ob peccata parentum haec in embryones in la statuisse Deum? maximè si conferatur locus Jon. IV, II. Præterea quod hic Deus pronunciat, filium non portaturum iniquitatem patris & patrem non portaturum iniquitatem filii, non specialis erga Judæos indulgentia, sed generalis regula est, ex immutabili eius justitia flucns, sequetur etiam in aliis locis comminationem Divinam, Exod.

XX, de



XX. de parentum peccatis in posteris non vindicandis
esse sublatam; quod verò dicinon potest.

§. XLVII.

Patet ex modò adductis, quam parùm sàpè præsidii ex commentariis etiam doctissimorum virorum sperandum sit. Fateor scripturam non esse *idias επιλυσεως*, 2. Petr. I, 20. & æquè indignum rejicere veterum, aliorumque præstantissimorum hominum sententias, quam recentes, imo proprias obtrudere velle. Vincentius Lirinensis c. 27. adducit illud Pauli 1. Tim. VI, 10. & II Ep. I, 14. *Depositum custodi;* & addit: *Quid est depositum? id quod tibi creditum est;* non quod à te inventum, quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrina; non usurpationis private, sed publicæ traditionis: rem à te perductam, non à te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos, non institutor, non duicens, sed sequens. Magna merito Antiquitati debetur veneratio, & post Scripturam S. manet illa bonæ fiduciae confirmatrix, si secum ipsa fuerit consentiens & accurata. Quod de historia Josephus scribit, libro I. contra Apionem: *Est vera historiæ indicium, si de iisdem eadem omnes & dicant & scribant;* id hic quoque locum habet. Enimvero ubi inter veteres & interpres alioquin laudatissimos nulla appareat harmonia, & ipsi in ambiguo consistant, nunc huc, nunc illuc se vertentes, eodem jure, secundum quos illi à se invicem dissenserunt, uti quoque licet, integrumque cuivis, recedere ab iisdem, modestè tamen & procul infestatione, ne instar pedarii alicujus aut servi, aliorum vestigia sequi videaris. Benè Lutherus Comm. in Gen. 19. p. m. 261 b. *In ipsis Patribus nihil debemus amplecti, quod cum S. Scriptura non conveniat: ea sola maneat judex & magistra omnium librorum.*

99 A 6943



BR

Dattrau

VS 17. Febr.

